(10.)

DE

GASTRIDE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AD SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES A GRATIOSO MEDICORUM ORDINE IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA BEROLINENS RITE OBTINENDOS

DIE VI. M. APRILIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS BIENENGRAEBER
LEITZKAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

KRETZSCHMAR, med. et chir. Dd.
STEINGROEWER, med. et chir. Dd.
BUETTNER, med. et chir. Cand.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.



VIRO

MAXIME VENERANDO, DOCTISSIMO,
HUMANISSIMO

SEELFISCH,

PHILOS. ET ART. LIB. MAGISTRO, ARCHIDIACONO APUD
VITEBERGENSES ETC.

AFFINI PRAECLARE DE SE MERITO

NEC NON

VIRO

CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO,

HUMANISSIMO

MEURER,

MED. ET CHIR. DOCTORI, PHARMACOPOLAE DRESDENSI,
COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI

CONSOBRINO SUO CARISSIMO

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Nonnisi dira, ut ait Horatius, necessitate ad opusculum conscribendum coactus, ad materiam propositam accessi. Neque enim est cur uberius exponam, me ea, qua gaudeam, experientia in arte medica tam theoretica quam practica nondum talem esse, qui novi atque exquisiti quid in medium proferre possim. Quod qui reputaverint, hos aequi bonique facturos esse existimo, si non singulare quidquam, sed modo res tritas vulgaresque in mea inveniant commentatione. Neque vero quidquam aut egi aut spectavi amplius, quam ut quae auctores praestantissimi de re mea senserint iudicarintque atque litteris consignaverint, ea sedulo colligerem congereremque, meo quidem iudicio non interposito. Sed vel in his componendis me minime arbitror omni vacasse errore libenterque, si quis me erroris convicerit, illud profitebor Terentianum: homo sum, humani nihil a me alienum puto.

DE GASTRITIDE.

§ 1.

Gastritis duabus prodit speciebus, raro acuta, frequentius chronica.

A. Gastritis acuta.

Plerumque cum frigore incedit, quod excipit calor, plurimum interne maximus, sitis vehemens. Aegrotus est valde anxius, regio gastrica tensa, calida, dolens. Dolores quaque pressione vel tactu regionis gastricae, forti inspiratione, corporis intentione vehementi augescunt, tussisque saepenumero plane est intolerabilis. Simul autem irritabilitas ventriculi est elata, aegri laborant nausea, ructu, vomituritione; adeo usus rerum mollissimarum oppressionem pectoris vomitumque dolorificum commovet. Morbo ingravescente omnia quae capta sunt nutrimenta evomuntur, saepe multa admixta bile. Pari modo alvus fit tarda, postremo obstipata. Febris, quacum morbus ingressus, persistit et ubi principio non affuit, paulo post accedit. Qua in febri pulsus fit frequens, interdum inaequalis, nonnumquam intermittens, duriusculus et contractus; aegrotus valde est irrequietus et insomnis, sitis magna, sicca lingua, urina parca; aeger interdum hydrophobia

correptus, propter spasmum in oesophago et larynge secundarium. Morbo gradum summum adipiscente patiens faciem accipit hippocraticam collapsu aggresso; deglutitio cum doloribus iungitur. Extremitates frigescunt, cutis livescit, respiratione foetente; aeger delirat, dolores iu regione gastrica repente evanescunt, abdomen meteorismo intumescit, extremitatesque semper fiunt frigidiores, pulsus magis magisque collabitur, aegrotusque sub animi deliquio et convulsionibus animam exspirat. In infantibus gastritis acuta non ita raro reperitur, praesertim in iis, qui lacte materno aut plane non sustentabantur, aut celerius depellebantur ac simul nutrimenta gravia accipiebant. Cuiusmodi infantes febri vexantur eminentiore, cui vomitus et plerumque diarrhoea accedit. Eiectae materiae sunt mucosae aquosae; praeterea infantes siti cruciantur vehementissima, bibunt cupidissime, halitum saepe habent acidule olentem, tactaque regio epigastrica calidissima sentitur. Vomitus solet increscere, uti alvus mucosa aquosa. Hic morbus infantes magnopere affligit, quippe qui pallescant, collabantur, oculis vigorem amittentibus; postremo tanquam sui non compotes prosternuntur, oculos torquent soporeque correpti pereunt sub spasmis. Quae species creberrima in infantibus tenerrimis spatium obtinet incertum, aliquando morbus iam post tres quatuorve dies letalis est, alias per dies quatuordecim et amplius protrahitur.

B. Gastritis chronica.

Frequentissima est in adultis, imprimis tempestate humide-frigida vernali et autumnali. Aegroti queruntur de cardialgia, modo semper modo tum tantum, si quid assumserint; qui perpetuo cardialgiam accusant, iis haec cibis captis augescit. Morbus ubi est gravior, accedunt quoque vehementiores vividioresque dolores, qui e medulla spinali per duo hypochondria usque ad ventriculum vagantur, ubi augentur, lancinantes ac rapidi fiunt neque antea remittunt, quam aegrotus sub vomituritione vehementi contenta ventriculi evomuit. Saepissime autem aeger tantummodo aquosum producit liquorem, interdum sapore prorsus carentem, alias acidum vel salsum (i. e. nostratium Wasserkulk). Post hanc evacuationem patiens se sentit allevatum, doloribus aut disparentibus aut tantopere decrescentibus, ut pressio modo sit obtusa. Nec raro in talibus aegris pulsatio quoque invenitur epigastrica; appetitu satis bono gaudent, raro siti magna vexantur, imo multi hujus generis patientes pauca potant. Mucosa oris saepenumero valde rubra, linguae superficies subalbida, alvus tarda. Symptomata quidem febrilia rara, longe vero saepius systema nervosum a morbo afficitur, ita ut aegroti maxime irritabiles et exinde morosi existant. Interdum etiam medulla spinalis perquam sensibilis est, parsque potissimum media, quae ventriculo respondet. Ubi processus premuntur spinosi, saepe dolores oriuntur. Morbi spatium non certum, saepe quatuor vel sex hebdomadum;

libenter recidit, quod fit frequentissime tempestate humide gelida, nec minus vitiis diaeteticis vel animi affectibus. Quibus recidivis morbus semper peior pertinaciorque evadit, ita ut impetus posteriores semper constent diutius quam priores, atque multis in casibus malum fiat prorsus habituale. Alii autem multos per annos ex hoc morbo laborant, alii per seriem annorum liberantur, sed serius in eum facile rursus incidunt. Memorabile videtur, licet dolores regionis gastricae in gastritide chronica pressione istius plerisque aegrotis augeantur, multos tamen reperiri, qui prementes regionem epigastricam levamen sibi parent. Quando malum iam diutius perstitit, aegrotus semper magis affligitur: fit maxime irritabilis, moestus, morosus, macerrimus; ventriculus pauca modo concoquit et prope omnia ab aegrotis evomuntur, atque in stadiis posterioribus in rebus eiectis saepe canescens in lapidis fissilis modum, fusca vel nigricans massa mucosa cernitur; succus gastricus pigmento organico plus minusve tingitur. Postremo tamen aegroti diversissime obeunt, alii quidem marasmo, quia nihil amplius nutrimenti capere possunt. Apud alios vero procedente morbo ulcera oriuntur in ventriculo, quae passim parietes vasis maioris laedunt, unde vehemens haematemesis impetus prodit. Qualis haematemesis celerrime in mortem exit; interdum autem vasis apertura iterum clausa, haemorrhagia desinit aegrotique reficiuntur. In casibus aliis exulceratio semper profundius pergit, ita ut ventriculus postremo

perforetur, qua re extravasatio in abdominis cavum et inde peritonitis gangraenosa exoritur, quae iam post octo, duodecim, viginti quatuor horas necem afferre solet. Commoventur tormina atrocissima, primum in regione epigastrica, tum per totum abdomen, quod intumescit, aegrotis celerrime pereuntibus. Nonnumquam accidit, ut partiali chronica inflammatione ventriculi, e. g. in regione pylori, ceterae ventriculi membranae valde relaxentur, quo ventriculus hoc in loco saepe magnopere adaugetur. Regio epigastrica, interdum totum abdomen plus minus tumidum; in intervallis vomitus consequitur magnaeque evacuantur copiae fusci liquoris crassiusculi, pressaque regione epigastrica haud raro copia talis liquoris in os effunditur; ceterum ructus saepe est aegrotis foetidus, quia hic facile foetida gasis genera formantur.

§ 2.

1) Secundum telas ventriculi, in quibus morbus sedet, genera haec discernuntur: nonnumquam patitur modo serosum ventriculi tegumentum, ubi plerumque universalis obtinet peritonitis; aliis in casibus cunctae membranae tempore eodem affectae sunt: haec est gastritis phlegmonoidea, qualis apparet gastritis acuta. In gastritide chronica mucosa potissimum ventriculi membrana telaque cellulosa submucosa laborant.

2) Secundum inflammationis extensionem. Saepe morbus imprimis afficit regionem pylori, ut

cernitur in gastritide chronica; dolores his in casibus nonnullo demum tempore post coenam increscunt et maxime pressione extrinsecus illata exsuscitantur; praeterea haud exigua hic est ad vomitum alvique obstructionem inclinatio. Multo rarius regio cardiaca afficitur, ita ut in triginta vix unus huiusmodi casus obveniat; in quo saepe deglutitio impedita est, aegrotus interdum plane non vomit, sed ad obstructionem minus inclinat. Alias morbus minorem vel majorem curvaturam afficit, vel anteriorem posterioremve ventriculi superficiem. Sedes vivo homine non potest certo coniici. Gastritis acuta plerumque plus minus totum invadit ventriculum; in infantibus solet a fundo exire, corripitque adeo intestini partem.

3) Secundum diagnosis vel facilitatem vel difficultatem gastritis dividitur in manifestam, qualis plurimum est acuta, atque occultam. Gastritidis chronicae symptomata saepe sunt obscura, praesertim quando malum non ipsum pylorum aut cardiam occupat. Nec raro ad febrem typhosam gastritis accedit, quo in casu symptomata minus sunt perspicua. Ventriculum autem saepenumero inflammari, quod durante vita non clare proditur, medicis antiquioribus haud erat ignotum. Magnopere porro cavendum est, ne morbum in infantibus non agnoscamus, ubi saepius inflammatio membranarum ventriculi cum magna ad emollitionem gelatinosam inclinatione obvia est. Infantes febricitant, cutem habent calidam, frequentissimum pulsum, vomunt,

purgant, aquosum mucosum liquorem promovent, siti vexantur acerrima, sicut dolore abdominis vehementissimo, quae eo manifestantur, quod infantes valde eiulantes abdomen constringunt. Morbo increscente vomitus purgatioque passim prorsus desistit, sed anxietas et vagitus augentur atque continuantur. Lingua labiaque siccescunt coloremque induunt nigricantem. Parvuli sopore corripiuntur nec raro sub convulsionibus animam efflant. Decursus morbi plerumque acutus, saepe modo tres ad sex dies explet, alias complures hebdomades. Gastritis chronica frequenter cognitu difficilis est, cognitaque saepe protrahitur atque crebro recidit.

4) Secundum typum gastritis acuta frigus habet continuum, quod in casibus remittit mitioribus. Gastritis chronica ferme semper est remittens, amat periodice reverti, maxime vere et autumno, postremoque existit aliquando habitualis.

5) Secundum conditiones morbus est tum sporadicus, tum epidemius, tum idiopathicus, tum sympathicus.

6) Raro morbus est simplex. Gastritis acuta plerumque cum febri vehemente coniungitur, chronicaeque gastritidi saepe febris lenta accedit. Praeterea simul obtinent frequenter pneumonia, hepatitis, splenitis, pancreatitis, nec raro aegroti gastritide affecti ictero laborant. Ceterum gastritis crebro cum dyscrasia complicata est.

7) Secundum characterem dynamicum; gastritis acuta solet sthenica esse, licet pulsus haud

raro frequentissimus, parvus, suppressus atque aeger maxime languidus esse videatur, id quod deprimente morbi vi in plexum solarem efficitur. Chronica quoque gastritis sthenicum habet characterem, sed longe minus intensum. Gastritis interdum ad febres accedens typhosas, initio quidem leniter sthenica est, posterius autem asthenica, nonnumquam adeo indolis paralyticae.

§ 3.

Exitus morbi valde variant:

1) In resolutionem. Sensim sensimque symptomata mitigantur et postremo omnino desistunt. Apparent critica evacuatio, sudor, urina, passim quoque vomitus criticus vel biliosa diarrhoea, aliquando criticae haemorrhoides vel catamenia, etiam eo nonnumquam excitata, quod in regione epigastrica erythema, erysipelas vel exanthema herpeticum formatur. Qui faustus exitus tunc est sperandus, quando aegrotus de cetero sanus est, inflammatio non vehementior, causaque remota non maligna ac morbus statim ab initio recte et cognitus et tractatus est.

2) In suppurationem. Haec modis diversis nascitur. Gastritis acuta interdum abscessum inter ventriculi membranas provocat. Ubi morbus ad certum quendum gradum provectus, subito nonnihil decrescit, neque vero plane desistit, sed fit lentescens; aegrotus saepius infestatur horripilationibus, maximis sudoribus nocturnis. Nonnumquam rum-

pitur abscessus pergitque contentum in ventriculi cavum atque aeger pus eiicit. Alias ruptus abscessus in cavum abdominis penetrat et aeger peritonitide gangraenosa celeriter conficitur. Aliquando ventriculus ibi, ubi est abscessus, cum abdominis pariete conglutinatus est, tuncque abscessus foras aperitur atque interdum fistula oritur, si quidem abscessus partim foras partim ad ventriculum versus sese aperuit. Inde pars ciborum potulentorumque sumtorum effluit, nonnullique aegroti hoc malo diutissime laborant, plerique vero mox hectici fiunt et marastici. Passim ulcus in mucosa ventriculi gignitur, modo plus modo minus profunde in ventriculi parietes penetrans. Hic quoque morbi symptomata remittunt, remanentque ista gastritidis chronicae. Sub rebus quidem laetis ulcus potest sanescere, sed non raro semper profundius fit ac postremo ventriculi tunicas perforat, cuius contentum in cavum abdominis effusum peritonitidem commovet gangraenosam. Passim autem locus, qui perforatur, iam antea cum partibus vicinis, veluti cum hepate concrevit, quo in casu ulcus has quoque partes, quibuscum ventriculus est concretus, destruere potest, effluvio quidem in cavum abdominis oriente.

3) In hypertrophiam et incrassationem tunicarum ventriculi. Hic exitus chronicae gastritidis frequentissimus, quando morbus creberrime revertitur valdeque producitur ac denique habitualis existit. In universum iste exitus proditur

eo, quod chronicae gastritidis symptomata semper crebrius redeunt, diutius constant, denique nunquam prorsus disparent. Ventriculus semper evadit irritabilior, aegrique ad postremum aut pauca aut nihil assumere possunt. Doloribus patientes nunquam plane relinquentibus et post capta nutrimenta magnopere exacerbescentibus, aegroti permultum vomunt rebusque in eiectis semper plus cernitur massa lapidis fissilis instar canescens, nigricans, mucosa; alvus fit tardior, habitus aegroti affligitur, nempe hic macrescit, animus eius maxime irritabilis evadit ac denique durities interdum, tumor in regione epigastrica sentitur; postremo aegroti summo absumuntur marasmo. Nonnulla eo etiam antea obeunt, quod in loco ventriculi indurato posterius ulcerationes exoriebantur, quibus aut maius vas sanguiferum aperiebatur, aut ipse destruebatur ventriculus. Aliquando in ventriculo per gastritidem chronicam nascuntur excrescentiae polyposae, spongiosae, molles, aut durities characterem habet fungi medullaris vel scirrhi. Qui status per vitam non certo produntur, nam tantummodo symptomata gastritidis chronicae deprehenduntur, et quum aeger valde est cachecticus vel affectibus deprimentibus magnopere cruciatus, malum characterem illum habere coniicere licet. Sedes harum degenerationum plurimum variat, frequentissima est ad pylorum. Dolores primum una vel duabus horis post coenam augentur, atque insuper regio pylori adversus pressionem extrinsecus illatum maxime est sensibilis. Aegri permultum vomentes alvum habent tardam. Attamen haec sym-

ptomata non semper constant. Quem locum patiens dolorum sedem perhibet, eum non licet certo amplecti, quoniam coenaesthesis in ventriculo tenuis est. Vomitus interdum desideratur, quia ventriculus cum partibus propinquis concretus, aut simul cullei instar dilatatus est. Praeterea huius generis aegroti saepe sedibus gaudent optimis, quod pylorus quidem incrassatus induratusque, neque vero coarctatus est. Rarius morbus ad cardiam sedet, quo in casu deglutitio impedita, regio scrobiculi cordis valde sensibilis, oesophagi specillum saepe difficile in ventriculum penetrat, et aeger minus ad vomendum proclivis haud facile vomit. Minus etiam characteristica sunt symptomata, quando malum alium ventriculi locum sedem habet.

4) In ventriculi emollitionem gelatinosam. Exitus apud infantes creberrimus, rarus apud adultos. Plerumque emollitio a membrana proficiscitur mucosa et inde paulatim per partes ventriculi reliquas. Morbus solet esse acutus proditurque doloribus magnis; infantes valde anxii atque clamantes pedes ad abdomen retrahunt, halitu acide olente. Infantes multum et vomunt et evacuant, magna vexantur siti atque inquiete, vehemente febri, denique pallescunt et languefiunt, cubant tanquam attoniti, spasmis corripiuntur, saepe soporosi interimuntur.

5) In gangraenam. Qui est exitus gastritidis acutae frequentissimus, maxime apud adultos. Symptomata principio sunt vehementissima, tum dolores gastrici subito remittunt, vires collabuntur,

extremitates fiunt gelidissimae, pulsus parvus et intermittens, crebrae lipothymiae, collapsus universalis, aeger moritur. Mirandum sane est, quod aegroti nonnulli, qui inter morbum exacerbescentem sopore corripiebantur, gangraena incedente insolitam produnt mentis claritatem.

§. 4.

Cum morbus esset acutus, vasa capillaria ventriculi et potissimum membrana eius mucosa sanguine rubro iniecta atque superpleta reperiuntur. Praeterea mucosa est laxata, nonnihil mollita, lubrica, interdum exsudato lymphae plasticae obtecta. Aliquando inter ventriculi membranas abscessus reperitur tum major, tum minor, qui adhuc clausus est aut jam apertus in ventriculum, vel in abdominis cavum, vel foras, vel in organon vicinum, e. g. colon transversum. Saepius in ventriculo ulcera inveniuntur et in anteriore quidem aut posteriore pariete, ad pylorum aut ad cardiam. Quae plerumque tanta sunt, quantus nummus grossorum quatuor, margines habent elatos, rubros, albide flavidam superficiem et plus minusve alte in ventriculi tunicas, in propinqua quoque organa penetrant, quibuscum ventriculus loco affecto concretus est. Post gastritidem chronicam ulcera in ventriculo deprehendimus magnitudine volae manus, quae non modo ventriculi tunicas destruebant, sed etiam tres quatuorve lineas in substantiam hepatis cum ventriculo concreti, aut in telam pancreatis porriguntur, quod cum ventriculo concrevit. Talia ventriculi ulcera sane-

scere queunt, quo facto cicatrices conspiciuntur: manifestae, aut prorsus laeves maculae reperiuntur, membranae longe crassiores et firmiores sentiuntur, et inde ab istis maculis ventriculi speciem prae se ferunt radiantem. Ubi ulcus ventriculi tunicam perforabat contentumque in cavum abdominis effundebatur, ibi, si abdomen aperitur, gas prodit foetidum, foetente liquore effuso. Viscera cernuntur inflammata, hic illic lympha plastica contecta, locoque ventriculi, per quem effusio fiebat, parvae infundibuliformes aperturae in ventriculi tunicis deprehenduntur. Degeneratio membranarum interdum levissima est, maximeque apud eos, qui gastritide chronica absumti sunt, tantummodo nigricans exstat membrana mucosa. Plerisque autem in casibus post gastritidem chronicam tunicae ventriculi incrassatae et induratae cernuntur, cuius rei causa in hypertrophia vertitur submucosae telae cellulosae, quae tunicam muscularem cum membrana mucosa coniungit, incrassata est fitque lardosa. In individuis plus vel minus cachecticis est in tela cellulosa hypertrophica scirrhus, vel saepius etiam fungus medullaris depositus. Qua incrassatione aut induratione ventriculi membranarum cavum istius in loco affecto angustatur. Cuiusmodi degenerationes frequentissimae sunt in regione pylori, rarius ad cardiam vel alio ventriculi loco. Malo ad pylorum sedente, hic plus minus coarctatus est; passim locus incrassatus et degeneratus iam in suppurationem abiit, qua re tunicae ventriculi perforatae sunt vel vas ejus majus apertum, quo haemorrhagia le-

talis provocabatur. Raro ventriculi degeneratio in eo constat, quod excrescentiae polyposae ex mucosa ventriculi oriebantur, aut crassae firmaeque, aut laxae ac fungosae. Emollitiones gelatinosae creberrime in fundo, interdum autem super ventriculum totum porriguntur, imo super partes intestini haud exiguas. Semper talis emollitio in membrana mucosa initium capit, et nonnunquam hac solum determinatur atque eo tum manifestatur, quod mucosa in loco affecto solito facilius cultri manubrio a tunica musculari deradi potest. Aliquando omnes membranae emollitionis participes existunt et rumpuntur facillime, interdum iam ante sectionem, fortasse etiam inter vitam. Ventriculo ante sectionem rupto, contentum plerumque effusum inter fundum ac lienem. Raro oesophagus, diaphragma, vel pulmo vicinus degenerationem participant. Contenta ventriculi emolliti valde acide plurimum olent, locique emolliti nonnunquam omnino pallidi, alias rubide fusci. Gangraena ea re insignitur, quod locus destructus adspectum praebet nigricantem, valde mollis et lacerabilis est et ingratum odorem habet gangraenosum. Vicinia loci gangraenosi plus minusve inflammata.

§ 5.

Gastritis acuta non facile cognoscitur, etenim dolores atroces in regione gastrica solo rheumatismo nonnunquam exoriuntur, qui tum in fascia superficiali, tum in musculis potius abdominis sedet. Hic autem cetera gastritidis symptomata desunt ac prae-

terea animadvertitur, dolores magnopere evehi, si modo lenissime fasciam superficialem aut musculos abdominis movere conamur. In carditide passim dolores vehementissimi in regione gastrica exstant. Praeterea hepatitidem, praesertim lobi sinistri cum gastritide permutare non licet.

Gastritis chronica saepenumero cum cardialgia confunditur. Cardialgiae merae sunt rarae; nec vero nos oblivisci oportet, symptomata chronicae gastritidis interdum procreari morbis longe aliis, qui in organis longe aliis sedem habent, quo pertinent plures morbi chronici cerebrales, sympathice ventriculum afficientes. Insuper symptomata illa saepe sympathice proferuntur morbis renum, horum calculis, hypertrophia et degeneratione; frequentius etiam pressione, quae intumescentia et induratione organorum vicinornm in ventriculum exseritur. Herniae quoque aliquando causae sunt ignotae chronici, tantum sympathici morbi gastrici. Adeo in sectionibus nullo modo facillimum est, de gastritidis praesentia diiudicare: neque enim insolitum ruborem mucosae vel serosae membranae statim inflammationem ducere licet, nam saepe illae valde rubrae et minimis punctulis saguineis obsitae sunt in individuis morbo longe alio mortuis. Quod phaenomenon creberrime causam in eo habet, quod extremo vitae tempore cor sanguinem non sine vi in vasa capillaria pellebat, quae istum non poterant rursus expellere. Neque quamque gelatinosam membranarum ventriculi emollitionem documentum gastritidis existimare licet.

§ 6.

Potentiarum nocentium vi praevalente gastritis in hominibus quidem diversis nasci potest, sed saepissime in irritabilibus, imbecillis. Gastritis et infantes et adultos infestare potest, illi quidem maxime ad gastritidem acutam proclives sunt, adulti ad chronicam, quae saepe degenerationibus gravissimis membranarum ventriculi ansam praebet. Sexus sequior videtur hoc malo frequentius laborare, et qui semel ab eo corripiebatur, facillime in idem recidit, id quod praesertim in gastritidem chronicam cadit. Potentiis nocivis, quae inprimis hunc morbum proferunt, annumeramus vim in regionem gastricam illatam, vulnerationes eiusdem, porro hernias, tum ingesta perniciosa, superpletionem ventriculi, praesertim difficilibus ad concoquendum cibis, immodicum usum condimentorum, potuum fermentatorum et spirituosorum. Permultum quoque calidiores cibi potusque nocent, quippe ventriculum comburentes, nec minus frigidiora nutrimenta potulentaque, praesertim corpore calefacto. Denique huc spectant deglutita mechanica venena, e. c. acus, nummi. Saepius etiam venena chemica hunc morbum producunt, quo pertinent immodicae doses salium neutrorum, nitri, ammonii, porro alcalia caustica, acida concentrata, abusus phosphori, arsenici, sublimati etc. Memorabile videtur, ventriculum plures res facile tunicam inflammantes, e. g. sinapim, armoraciam optime sustinere, quod inde videtur explicandum, quod harum substantiarum immediata vis in ventriculum partim tegumento mucoso, partim

perpetuo motu peristaltico impedita est. Porro huc referenda sunt corporis producta, quae in ventriculum vim exercent perniciosam, uti bilis depravatissima, quae in nonnullis hepatis morbis per duodenum in ventriculum effunditur; deinde maior succi gastrici acrimonia, acor in ventriculo, nimia ventriculi contentio in vomitu maximo, denique capitis laesiones, quae sympathice gastritidem commovent. Neque raro gastritis gignitur inde, quod inflammationes intestini, hepatis, lienis etc. ad ventriculum propagantur. Interdum quoque gastritis oritur metastatice, podagra exanthematibus, pedum sudoribus suppressis, perturbatis catameniis vel haemorrhoidibus.

§. 7.

Gastritis semper est morbus periculosus: gastritide acuta aeger saepe moritur celerrime ex apoplexia vel sub convulsionibus, nonnisi vehementi morbi irritatione cerebri medullaeque spinalis. Alias morbus eo aegrotos conficit celeriter, quod abit in gangraenam. Ille quidem exitus inprimis in imbecillis, irritabilibus personis animadvertitur, hic vero potissimum gastritide vehementissima. Gastritis ex suppressa podagra exorta potest pariter citissime enecare, vel vi vitali exhausta vel gangraena. Gastritis chronica quidem ab initio non ita perniciosa, sed valde protrahitur, ad recidendum maxime est proclivis, gravissimis ansam praebet degenerationibus tunicarum ventriculi, quibus aegrotus serius ocius interimitur. Pessimi sunt casus, ubi gastritis

potentiis malignis nata est, v. c. venenis fortioribus. Prosperum est, si morbus in tempore recte tractatur, nam tum sese potest resolvere. Abscessus in ventriculi membranis praeter consuetudinem tantum sanescunt; ulcera quidem membranis ventriculi nonnunquam sanantur, ut ex cicatricibus liquet. Incrassatio induratioque ventriculi morbus est pessimus, quippe qui, si semel adest, plerumque refutari nequeat. Peior etiam res existit, quando induratio in suppurationem transit, et omnium maxime mala, si ista induratio non est simplex, sed fungi medullaris vel scirrhi utitur charactere, ubi aegroti celerrime pereunt. Transitus in emollitionem gelatinosam nunquam non est periculosus, etenim huius generis aegri plerumque subito peritonitide gangraenosa obeunt, quia ventriculus rumpebatur. In aliis, praesertim in infantibus cerebrum medullaque spinalis afficitur sympathice. Nec nisi praeter consuetudinem morbus quatuor ad sex hebdomades producitur, nec emollitio haec gelatinosa emendari potest. Ubi gangraena in ventriculo obvia, aegrotus solet ex vita discedere, plerumque aliquot horis post illius incessum suffocatus.

§ 8.

I n d i c a t i o p r i m a conditiones removeri vult. Cum ventriculus cibis potulentisque superpletus ac magna extensione debilitatus est, cave, ne statim emeticum porrigas, cuius loco regio gastrica circulatim fricenanda, aromaticis cataplasmatibus vel sinapismo contegenda et tum demum, cum vis vitalis

resuscitata est, aegrotus ad vomendum adigendus est eo, quod faucem penna oleo tincta stimulare conamur. Ubi ventriculi debilitatio maior est, clysmata adhibentur irritantia, interne parvae doses aetheris parvique ictus electrici in regionem gastricam. His quoque in casibus gastrica antlia Weissii advocari possit. Aeger, qui res devoravit calidiores, statim debet aquam gelidam potare, tum emulsio blanda administratur, diaeta lactea, res mucosae vegetabiles, iusculum carneum etc. Quando aeger corpore calefacto gelida bibit, regio gastrica remediis infricetur irritantibus, interne aethere administrato cum tinctura opii, aeger usque dum sudet obambulet, tumque cubitum eat. Ubi aegrotus venenum hausit neque satis fortiter vomit, quam primum ei emeticum aptum porrigendum; dein multi mucosi potus involventes ordinentur, decoctum althaeae, verbasci etc. Si aegrotus res mechanicas perniciosas devoravit, ei crassa pulte solani tuberosi et similibus fruendum, non neglectis potulentis corpus deglutitum emollientibus et resolventibus. Ventriculo contusionem passo, primum admittatur venaesectio, hirudines regioni gastricae applicentur et postea aromaticae infrictiones atque cataplasmata, adiunctis medicamentis narcoticis. Gastritide ex suppressa podagra orta, pro variis casibus varie agendum: cum aegri robusti sunt et plethorici, severa antiphlogosis adhibenda est simulque sinapismi pedibus imponendi, ut podagra reducatur. Quando autem aegroti natura sunt imbecilli atque decrepiti, aetheris sulphurici doses

magnae praescribantur, i. e. cochlear minus dimidium usque ad unum, aqua menthae piperitae dilutum; praeterea hic prosunt infusa theiformia melissae, menthae etc., calida aromatica pediluvia, vesicatoria ad pedes. Si gastritis turbatis ex catameniis vel haemorrhoidibus, aut suppressis exanthematibus vel pedum sudoribus evasit, plurimum interest, ut hae secretiones restituantur vel in locum earum morbi sufficiantur vicarii.

Indicatio secunda. Morbus tractandus secundum characterem dynamicum.

a) Gastritis acuta severum usum methodi antiphlogisticae requirit, ante omnia sanguinis depletionem haud exiguam. At non obliviscendum, talibus aegrotis pulsum non raro parvum et infirmum esse, extremitates frigidas etc., licet venaesectio necessaria existat. Charactere vehementer sthenico symptomata localia atrocissima sunt; illo autem asthenico topicae affectiones minimae sunt, nullaque eis cum debilitate universali ratio intercedit. Antiphlogosi instituta dolores remittuntur, pulsus effertur fitque plenior atque omnes nervorum affectiones disparent. Sed plerumque morbus aliquo tempore interiecto exacerbatur, quare patientes saepe visendi, et cum senseris impetum novum imminere, hunc repetita venaesectione arcere tentes. Passim venaesectio ter, quater et amplius iteranda. In infantibus hirudines regioni gastricae imponuntur, pro statu quidem aetatis et impetuum vehementia duae, quatuor, sex, octo ad duodecim. Neque raro in adultis usus hirudinum necessarius. Interna autem

antiphlogistica in gastritide acuta fere nunquam non aegre feruntur, quippe ventriculum nimis irritantia vomitumque commoventia haud levem. Maxime vero cavendum est, ne vomitum violentum in gastritide acuta sic dictis antispasmodicis removere velis, utpote quae inflammationem mirifice augeant. Ceterum ventriculi actio turbulenta est sedanda et hanc ob causam omnia irritamenta a ventriculo prohibenda. Aegrotus tantummodo rebus mollissimis hisque adeo copia modo minore fruatur oportet, v. c. lacte, tenui emulsione amygdalarum, avenae excorticatae etc. Nonnunquam etiam hae res vomitu eiiciuntur tumque clysmata et vaporaria ad pectus adhibenda. Salliard in infantium gastritide aquam herbae lactucae efficacissimam invenit, nec usum multae aquae gelidissimae, gelidasque fomentationes regioni gastricae applicatas non laudat. Insuper quoque tepidae, emollientes et sedantes fomentationes atque cataplasmata ex floribus chamomillae, sambuci nigri, menthae piperitae, addito hyoscyamo etc. in regione gastrica ponuntur, infrictionibus ex unguento volatili cum opio non praetermissis. Verum haec remedia post idoneam demum sufficientemque sanguinis missionem apta sunt. Usus vero clysmatum in gastritide acuta nunquam negligendus, etenim duras faeces eliminant, sanguinem ad intestina crassa alliciunt et a ventriculo derivant. Symptomatibus quidem gastritidis acutae evanescentibus ventriculo contra irritabili persistente, aegroto parvae dentur doses calomelanos cum antiquantulo opii, aut parvae doses bismuthi nitrici praecipitati

cum pauxillo opii, aut doses minimae morphii acetici administrentur, simulque aliquamdiu vesicatorium ad regionem gastricam, aegroto in tempus aliquod diaetam blandam sequi coacto.

b) Gastritis asthenica cum erethismo. Gastritis chronica in universum est erethica; in primis morbi stadiis congestio sanguinis ad ventriculi tunicas aucta, ac plus minusve antiphlogistice est agendum. Cum aegroti plethorici robustique sunt, cura a venaesectione incipiatur, in adultis unc. x — xii, et deinde hirudines No. x — xii ad regionem gastricam applicentur. Aegroto imbecillo venaesectio quidem non est indicata, sed hirudines hic quoque saepe prosunt. Plurimum aegri alvo laborant obstructa, quapropter mitia salia neutra et clysteres advoces. Praeterea omnia irritamenta vehementia a ventriculo avertenda, quem ad finem cura lacte butyrino optime instituitur; simul antiphlogistica mitia, parvae calomelanos doses etc. ordinentur. Inflammatoria irritatione ventriculi manifesto temperata, magisterium bismuthi multum conducit, praesertim medicamine sedante adiecto, v. c.

Rp. Bismuthi nitrici praecip. gr. ii.
Extr. Hyoscyami
s. Extr. Conii macul. gr. i.
s. Opii puri gr. $\frac{1}{4}$
s. Morphii acetici gr. $\frac{1}{12}$
Sacchar. albi gr. xii.

M. f. pulv. disp. dos. tal. No. xii. da ad vitrum album. S. ter quaterve quotidie pulv. i.

Simul sedans porrigatur antispasmodica thea,

praecipue herbae mari veri, nec raro folia bucco prosunt. Decrescente jam magis magisque ventriculi irritabilitate, aliquamdiu vesicatorium regioni gastricae admoveatur, maxime prope pylorum, aut hoc in loco exanthema per unguentum tart. stibiati sustentetur, aut parvum adhibeas setaceum, aegro passim victum nonnihil consistentem capiente, modicum iuris carnei modum, duas tresve carnis assae uncias et aequam pomorum tostorum copiam. Vesperi autem adhuc victus sit tenuior, ad summum iusculum ex aqua paratum. Denique huiusmodi aegris multum conducit motio maior, multa ambulatio, adeo equitatio. — Porro huc pertinent casus, in quibus gastritis principio acute sthenica non perfecte resolvebatur, sed posterius asthenice erethica fiebat, ubi sub curae finem medicamenta sedantia cum diaeta idonea impendi debent. Dein eodem spectant hi casus, in quibus gastritis ad febres accedit typhosas, ubi res primaria in praesente typho recte tractando sita est. Quod hic affectiones gastricas attinet, aegrotus, si quidem multum vomit, pulveres sedantes, parvas aquae selteranae lacte admixto quantitates assumat. Quum morbus iam in stadio versatur nervoso, iuxta curam universalem emplastrum aromaticum in regione gastrica colloces. Ubi casus est pessimus aegerque omnia evomit, aquae frigidae usum instituas.

Indicatio tertia. Licet nonnunquam gastritidem eo minuere, quod a ventriculo derivare nitimur. Ubi vero gastritis est acute sthenica, ante omnia ea per sanguinis detractiones temperanda,

priusquam aliquid agas aliud. Medicamentis derivantibas maxime accensenda sunt laxantia, nec vero acriter irritantia, sed modo mitissima, ol. ricini, fructus tamarindorum etc., et ventriculo ne has quidem res sustinente, in usu clysmatum aperientium acquiescas. Permultum quoque prosunt haud raro externa cutis irritamenta, balnea tepida, regionis ga stricae infrictiones linimento volatili camphorato, sinapismi et vesicatoria ad regionem gastricam; in gastritidis chronicae casibus pertinacibus setaceum regioni gastricae applicetur.

Indicatio quarta. Cura secundum exitus morbi diversos varianda; quando ille resolvitur, diaphoreticis utimur mitibus, veluti potissimum balneis tepidis, interne simul mitibus medicamentis sedantibus, pulveribus aërophoris etc., nonnunquam etiam theae aromaticae scutella, e. g. florum sambuci cum pauxillo menthae piperitae. Si morbus protrahebatur, ita ut exsudatum lymphae plasticae inter membranas ventriculi restitisse metuas, modicae doses calomelanos cum aliquantulo opii vel morphii acetici et unguentum mercuriale in regionem gastricam adhibeantur; simul per tempus aliquod diaeta sit tenuissima. Gastritide autem in suppurationem transgrediente, haud multum ad aegrum servandum conferre licet· diaetam oportet mitissimam esse et parcissimam, aquam selteranam ac lac, tenue iusculum carneum, ova mollissima, sago etc.

Abscessu oriente qui in ventriculi cavum exit, diaeta blanda continuatur, posterius lac asininum datur cum aqua selterana; abscessu foras erumpente

ac fistula nata ventriculi, res primariae sunt diaeta conveniens nec incommoda ligatura, quam elastica pelotta optime alligamus, quae zonae affixa est, ita ut ciborum prolapsus e ventriculo praepeditus sit. Haec ligatura aliquoties quotidie purganda. Adversus ventriculi ulcera nihil licet grave instituere, ubi sicut in gastritide chronica omnino agendum est. Tunicis ventriculi degeneratis prognosis est infaustissima, quia cum semel exstiterunt degenerationes, plerumque reformari nequeunt. Item praesagium triste, si in gastritide emollitio ventriculi gelatinosa obvia est. Ubicunque hic exitus timendus est, e. c. in infantibus, aeger diaetam observet tenuissimam nec bibat nimium. Infantibus iam ablactatis optime nutrix idonea respondet. Ceterum cura eadem, quae gastritidis acutae, respecta quidem infantis aetate: interne praescribimus parvas doses pulveris aërophori, interdum quoque aquam oxymuriaticam, praeterea plethora praesente aliquot hirudines. Diarrhoea in vehementissima parva clysmata mucosa, et cum sedes sunt frequentissimae, tum et interne et in clysmate congruae doses opii usurpentur. Fortasse hic quoque creosotum non sine utilitate porrigatur, quotidie autem duae tantum vel tres guttae, optime in aqua aromatica, veluti

Rp. Aquae Menthae pip. ℥ii.

Creosot. gtt. ii.

MDS. bis terve quaque hora unum cohlear minus. — Transitus in gangraenam obitum affert celerrimum.

LITTERATURA.

Henning. lib. not. Kopenhagen 1795.

Broussais, Vorlesungen über die gastrischen Entzündungen, aus dem Franz. von Fleck. Rudolst. 1829.

Billiard, die Schleimhaut des Magens und Darmkanals im gesunden sowohl als im kranken Zustande, a. d. Franz. v. Urban. Lpzg. 1828.

Abercrombie, Unters. üb. d. Krankh. des Magens, Darmkanals etc. aus d. Engl. von van dem Busch. Bremen 1830.

Eisenmann, die Krankheitsfamilie Pyra, Schleimhautexantheme. Erlangen 1834.

Morgagni lib. not.

Cruveilhier, auserlesene Abhandlungen für praktische Aerzte.

V I T A.

Ego Adolphus Bienengraeber Leitzkaviae, foro Saxonum, natus sum die VI. m. Junii a. MDCCCXVI. patre Friderico Guilelmo, verbi divini ministro, matre Christiana e gente Kuechler. Fidei addictus sum evangelicae, imbutusque litterarum elementis gymnasium Vitebergense, quod directore clarissimo Spitzner florebat, usque ad a. MDCCCXXXVIII. frequentavi, quo maturitatis testimonio instructus, tempore vernali almam universitatem Halensem petii, ubi ab Ill. Gerlach, t. t. prorectore magnifico, inter cives academicos receptus, studiosis theologiae adscriptus sum. Mense autem Aprili a. insequentis, cum animum meum ad artem medicam applicuissem, ab Ill. Friedlaender, t. t. ordinis medicorum decano maxime spectabili, in album facultatis medicae relatus sum. Inde ab hoc tempore scholis interfui hisce:

Ill. d'Alton de anatomia et de arte cadavera rite dissecandi; Ill. de Schlechtendal de botanice; Ill. Friedlaender de encyclopaedia, de methodologia medica et de materia medica; Ill. Burmeister de zoologia; Ill. Gerlach de logice et psychologia; Ill. Kaemtz de rebus physicis; Ill. Germar de mineralogia; Ill. Steinberg de chemia; Ill. Krukenberg de pathologia et therapia tam generali quam speciali; Ill. Blasius de chirurgia

generali et speciali et de aciurgia; Ill. Maier de anatomia pathologica. Clinica medica et chirurgica frequentavi Ill. Blasius et Krukenberg. — Tempore autem autumnali a. MDCCCXL. patre dilectissimo, quem lugere nunquam desinam, morte mihi abrepto coactus sum, ut domum redirem et res domesticas totum per annum administrarem. — Vere a. MDCCCXLIII. in hanc almam universitatem Berolinensem me contuli, ubi his interfui scholis: Ill. J. Mueller de physiologia et de anatomia comparata; Cel. Kluge de arte obstetricia. Scholis interfui clinicis medicis et chirurgicis nec non obstetriciis Ill. Juengken, Ill. Schoenlein, Cel. Romberg et Cel. Kluge.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore ut summi in medicina honores in me conferantur. —

THESES.

1. Generationem aequivocam nego.
2. In inflammationibus vis vitalis non est adaucta.
3. Delirium tremens in potatoribus a non bibendo oritur.
4. Utrius sexus foetus in utero sit, cognoscere non possumus.